

riori formaliter transeat; cessante interiori formaliter, vel virtualiter, nego; nam etiam si attentio cesset, vel intentio, manet tamen denominatio voluntatis ad id prosequendum, quamdiu non retractatur; et inde sumitur malitia, vel bonitas in actu exteriori. Ad id vero quod dicitur non sufficere actum interiorem sine exteriori totam malitiam habere, dicimus non sufficere illum actum interiorem si non sit efficax neque adæquatus totaliter actui exteriori, secus vero si sit efficax, et adæquatus, sicut in exemplo argumenti, qui vult tantum demereri quantum omnes damnati, non efficaciter id vult, neque adæquate, quia non apprehendit omnia illa peccata distincte, et in particulari, ita ut in omnia velit prorumpere, quia multa ex illis sunt opposita et contraria, nec possunt simul ab uno homine fieri; ergo neque efficaciter illa omnia velle potest. Denique ad id quod dicitur de eo qui eligit, et qui intendit, dico quod in isto multiplicantur actus voluntatis essentielles, et interni, quorum quilibet est capax distinctæ bonitatis et malitiæ, quia habet distinctam rationem voluntarii interni, et ideo malitiæ multiplicantur. Secus est de actu externo, qui totaliter exterior est, quia non habet distinctam rationem voluntarii ab interno; ergo nec distinctam malitiam.

## DISPUTATIO XII.

## DE CONSCIENTIA.

## ARTICULUS I.

*Quid, quotuplex sit conscientia.*

I. Conscientia, ut docet S. Thomas 1 p. quæst. LXXIX, art. XIII: « Est

judicium, seu actus intellectus, quo aliquis applicat suam scientiam practicam, seu dictamen rationis ad aliquid agendum. » In quo potest esse difficultas; tum in eo quod dicitur conscientiam pertinere ad intellectum; tum in eo quod dicitur esse actum intellectus, non habitum, neque potentiam ipsam. Utrumque difficultate non caret.

II. Nam in primis aliqui sentiunt conscientiam pertinere ad voluntatem, non ad intellectum. Et duci possunt; tum, quia conscientia versatur circa bonum, vel malum, ipsaque conscientia dicitur aliquando bona, aliquando mala, ut sumitur ex illo I ad Timoth. I: *De corde puro, et conscientia bona*, bonum autem, et malum proprie ad voluntatem pertinent; tum, quia conscientia dicitur applicatio, seu actus applicans scientiam practicam ad aliquid agendum; actus autem applicativus est actus intellectus, quia est actus qui dicitur usus, qui est actus voluntatis, ut constat ex D. Thoma supra quæstione XVI. Alii etiam tenent quod conscientia pertineat ad utramque potentiam tam intellectus, quam voluntatis; ad voluntatem quidem quia est applicatio, seu usus; ad intellectum vero, quia iste usus est usus scientiæ, et cognitionis, seu dictaminis.

III. Secundo quantum ad id quod dicitur conscientiam esse actum, multi sentiunt habitum esse (nam quod potentia ipsa non sit constat apud omnes, quia conscientia potest deponi, et assumi, potentia vero deponi non potest.) Et ducuntur ex eo quod conscientia etiam nobis actualiter non operantibus, sed etiam dormientibus, dicitur in nobis permanere, ergo non potest esse actus, sed habitus.

IV. Et confirmatur, quia conscientia dicitur habere aliquos actus ut accusare, testificare, ligare, ab-

solvere, etc. sed unus actus non habet alium actum, sed habitus est, qui habet actum, vel potentia; ergo cum conscientia non sit potentia, sequitur quod sit habitus.

V. Et secundo confirmatur, quia si conscientia esset actus, seu iudicium actuale, nunquam posset quis operari conscientiam, quia contra actuale iudicium non potest quis operari, nisi habeat contrarium iudicium, non autem possunt esse duo iudicia contraria actu simul in subjecto; ergo vel conscientia non est actuale iudicium, vel non poterit homo operari contra conscientiam.

VI. Nihilominus sententia D. Thomæ certa est, et communiter tenetur a doctoribus, tam in ejus schola super prædictum locum 1 p. et in hac secunda, secundæ, quæst. XIX, quam extra ejus scholam. Et quod conscientia pertineat formaliter ad intellectum constat, quia conscientia est dictamen practicum, quo regulatur quis in suis actionibus, constat enim non posse quempiam operari moraliter nisi aliquo dictamine ductus, quod dictamen non potest operari, nisi applicetur in particulari hic et nunc ad opus faciendum, ita quod non solum iudicet in communi quod oportet bene operari, sed etiam in particulari, quod prout hic et nunc conveniens est hoc facere, et quia fit ista applicatio seu comparatio principiorum universalium ad particularia dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, hoc enim est dictamen applicatum in particulari ad agendum. Hoc ergo dictamen appellamus conscientiam, et tale dictamen pertinere ad intellectum non potest esse dubium, quia dictamen est iudicium quod formamus de agendis, et iudicium actus intellectus est. Sic ergo constat conscientiam pertinere ad intellectum, quia con-

scientia est dictamen applicatum in particulari ad agendum, et dictamen est quoddam iudicium.

VII. Ex effectibus quoque, et quasi a posteriori constat conscientiam pertinere ad intellectum, quia effectus illius solum in intellectu inveniuntur, et actus ejus sunt. Nam conscientia dicitur testificari ad Roman. IX: *Testimonium mihi perhibente conscientia mea*: et II ad Corinth. I: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Dicitur etiam conscientia scire, aut esse aliquid in conscientia, in cognitione, Ecclesiastici VII: *Scit enim conscientia tua, quod crebro maledixeris aliis*: Genes. XLIII: *Non est in nostra conscientia quis hoc fecerit*. Dicitur etiam conscientia iudicare, primæ ad Corinth. X: *Ut quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* Denique conscientia dicitur errare, accusare, excusare, ligare, reprehendere. Quæ omnes actiones sunt intellectivæ, et ad intellectum pertinent; ergo conscientia id quod est, intellectus est. Quæ tamen actiones quia practicæ sunt etiam recipiunt denominationem boni a suo effectu, seu fine ad quem dirigunt, quia ordinant, et dirigunt ad bonum.

VIII. Quod vero sit actus, et non habitus, vel potentia deducitur ex dictis, tum a priori, tum a posteriori. A priori, quod conscientia est quoddam dictamen, seu iudicium de agendis in particulari, iudicium autem est actus, non habitus, vel potentia, et dictamen apprehensio est intellectus, et propositio, qua proponitur quid agendum sit regulative; ergo conscientia est actus, seu actuale iudicium: a posteriori vero deducitur, quia conscientia non potest esse habitus naturalis, neque acquisitus, neque infusus: ergo nullus. Non naturalis, quia habitus naturalis ut syndæresis non

potest deponi, et assumi, conscientia autem potest deponi et tolli, ergo non est habitus naturalis, id est, a natura congenitus. Non est habitus acquisitus, quia habitus acquisitus non generatur nisi per plures actus, et quilibet actus procedit ex conscientia, et supponendo illam, quia si nullam conscientiam haberet homo quando eliceret illos actus, non generarent habitum bonum; ergo quando tales actus procedunt jam supponitur conscientia, alias si non supponeretur non fierent cum bona conscientia, neque mala, et sic non possent acquirere habitum conscientia, quia conscientia non est indifferens, sed bona, vel mala. Non ergo conscientia est habitus acquisitus, sed invenitur ante acquisitionem habitus. Non est infusus, quia conscientia etiam circa actus naturales invenitur, et non solum circa supernaturales, et sic oportet quod in linea naturali etiam detur conscientia: nam etiam in linea naturali datur actus bonus, vel malus; ergo conscientia bona, vel mala, id est, dictamen bonum, vel malum, sine quo actus non sit. Unde etiam ante omnem habitum infusum in pagano, vel gentili datur conscientia, et in puris naturalibus daretur, non ergo est habitus infusus. Denique conscientia non est ipsa potentia sive intellectiva, sive aliqua alia, quia potentia mutari, et deponi non potest, conscientia autem deponi potest: ergo, etc.

IX. An vero conscientia sit iudicium intellectus practici, vel speculativi, supposito quod consistit in actu, et in iudicio, non in aliquo habitu vel potentia. Facile ex dictis potest sumi resolutio, quod sit iudicium practicum cum sit formatum a prudentia, non speculativum, licet etiam aliquid de speculativo supponat, saltem quoad iudicium de rebus agendis in communi, et

respectu singularium, quæ non sunt operabilia, quia sunt præterita. Omne enim practicum fundatur in aliquo speculativo, illudque supponit.

X. Sed tamen ut hoc melius intelligatur advertendum est, quod cum practicum, et speculativum differant ex fine, eo quod practicum ordinatur ad opus faciendum, vel regulandum, speculatio ad cognoscendum, eo modo contingit aliquid esse practicum, quo contingit ordinari ad operandum, et eo modo quo receditur ab ordine, seu directione operandi, et sistitur in ipsa cognitione rei, contingit cognitionem dici speculativam, non practicam. Aliqua ergo cognitio datur quæ de se operativa est et practica, sed in modo procedendi non habet operari, vel quia deficit materia, vel quia deest applicatio: aliquando vero cognitio tam in substantia, quam in modo practica est et operationem habet. Et quando in modo procedendi, et in exercitio non datur practicum, quia non exercetur, dicitur illa cognitio speculativa, scilicet ex parte modi, licet ex sua substantia, seu specie operativa, et practica sit, verbi gratia, ars ædificativa ordinat suam cognitionem ad faciendam domum, talis cognitio ex ipsa sua specifica ratione est practica; tamen ejus exercitium, seu applicatio potest aliquando non esse practica, nec ordinari ad opus, vel quia deest materia circa quam operetur, vel quia res non est in statu quo fiat, sed in statu quo facta est, seu jam præterit; et ideo circa talia non potest dari practicum in exercitio, sed illa cognitio ex modo operandi, et in exercitio, dicitur esse speculativa. Et sic D. Thomas vocat speculativam sententiam Dei, quæ versatur erga possibilia, quæ nunquam facienda sunt, circa creaturas autem existentes practicam vo-

cat illam scientiam Dei 1 p. quæst. xiv, art. xvi, cum tamen illa, quæ versatur circa possibilia, quæ non sunt facienda, sit factiva illarum in virtute et potestate.

XI. Sic ergo conscientia cum sit dictamen practicum potest considerari, vel quoad speciem, et substantiam suam, seu formalem rationem, vel quoad modum, et applicationem suam, et exercitium. Si consideretur quoad speciem, et substantiam, semper est practica, quia habet vim directivam, et regulativam operum moralium, sicut et ipsa prudentia cujus dictamen est. Et sic etiam ipsa conscientia prout considerat res in communi, et secundum principia universalialia, est practica, quia etiam prout sic vis ejus est vis directiva ad opus ex sua specie, et ratione. Et hæc eadem cognitio etiam prout respicit præterita, adhuc est practica in virtute, et specie sua, quia regulæ illæ, et formalis ratio, qua talis cognitio procedit operativa est, et vim habere operativam, si applicetur materiæ habili ad efficiendum.

XII. Cæterum ex parte modi et exercitii, seu applicationis illud iudicium non dicitur practicum, nec illa conscientia practica erit, quæ non operatur, nec versatur circa rem in statu, et modo operabili, et ideo manet illud iudicium, seu dictamen speculativum quoad modum, licet in virtute, et formali ratione practicum sit. Unde si dictamen versetur circa agenda in communi et non considerando circumstantias, vel circa præterita, quæ jam non sunt in statu factibili, erit iudicium speculativum quoad modum, quia non operando, seu exercendo operationem procedit, sed tamen in virtute, et substantia practicum iudicium est, quia directivum est operis factibilis, si in statu quo fieri possit ponatur.

XIII. An vero hoc iudicium practicum quod est conscientia sit efficax, et semper conjunctum cum effectu, si quidem ad iudicium practicum videtur infallibiliter sequi operatio. Quod si ita est nunquam poterimus operari contra conscientiam, quia nunquam possumus operari contra iudicium practicum efficacem et frustrare illud.

XIV. Respondetur non omne dictamen, et iudicium practicum esse efficax infallibiliter, sed si alicui dictamini practico competit ista efficacia, est dictamen imperii, quod est ultimum ad executionem operationis, ante imperium vero, imo ante electionem præcedit consilium et iudicium de electione, et ante electionem circa intentionem finis determinati in hac, vel illa materia præcedit etiam iudicium de convenientia finis intendendi. Ista ergo iudicia consultativa non habent adjunctam infallibilitatem ad opus, sed possunt deseri aut sequi, et in istis præcipue consistit conscientia, quæ ostendit, et consulit id quod agi debet secundum rationem. Nec enim quodcumque iudicium practicum dici potest conscientia, sed solum illud, quod iudicat aliquid ut conforme rationi, sive vere, sive existimate. Et ideo dici potest quod aliquis agat contra conscientiam, quia potest dimittere, seu non sequi dictamen illud quo proponitur id quod est conforme rationi, in quo proprie conscientia consistit, sed potest sequi aliud dictamen practicum contrarium rationi, atque adeo contrarium conscientia. Et sicut non repugnat esse diversa dictamina, quorum unum excludit alterum, ita non repugnat esse dictamen practicum malum contra conscientiam, licet semper conscientia maneat quantum ad sua principia communia, scilicet ex parte syndæresis, quæ remurmurat, et repre-

hendit id quod fit contra illam in particulari.

XV. Tandem inquires: Supposito quod conscientia est iudicium, seu dictamen, et non habitus formaliter, tamen necesse est quod iste actus et iudicium procedat ab aliquo principio, seu habitu. Quis est ergo habitus a quo procedit conscientia? Nam ille etiam conscientia nominari poterit.

XVI. Respondetur conscientiam bonam proxime, et formaliter procedere a prudenti, quæ rectum præbet consilium et dictamen de agendis, malam vero conscientiam ab opposito vitio imprudentiæ; et hæc virtus habet nomen proprium, scilicet prudentiæ, nec potest appellari conscientia, sicut nec appellatur dictamen, nisi abusive et causaliter, quia est causa dictaminis. At vero remote, et originative procedit, et formatur conscientia ex diversis principiis, et notitiis præsertim a syndæresi, quæ est habitus primorum principiorum in practiceis. Et ideo quia principaliter originatur ab illo, quandoque conscientia nominatur syndæresis, ut ex S. Hieronymo, et aliis docet S. Thomas I p. quæst. LXXIX, art. XIII. Constat enim quod regula agendorum colligitur ex pluribus notitiis, scilicet ex primis principiis agibilium quæ pertinent ad syndæresim ex ipsa experientia, ex his quæ docet fides, ex aliorum exemplis, et similibus aliis, ex quibus pendet probabilitas, certitudo aut securitas in re morali. Sed hæc omnia pertinent ad scientiam, seu notitias præsuppositas, conscientia vero non dicit solam scientiam, sed applicationem ejus et dictamen, quasi cum alio scientiam: sicut conclusiones in speculativis generantur ex pluribus principiis dispositis, et artificiose directis. Et ita quando ex his notitiis moralibus procedit aliquis ad for-

mandum, et applicandum dictamen aliquod in particulari, de eo quod faciendum est juxta id quod iudicatur esse conforme rationi, dicitur formare conscientiam, et iudicium practicum de agendis. Unde tale iudicium pertinet proxime, et elicitive ad prudentiam si fit rectum vel ad imprudentiam si rectum non sit. Sed quia prudentia habet res actus, scilicet consilium, iudicare, et præcipere, ad duos primos pertinet conscientia, quia ad conscientiam pertinet dictamen, seu iudicium de agendis, quod per consilium habetur, et tale iudicium, sicut et consilium contingit deponi, aut mutari, aut etiam operari contra illud, accipiendo oppositum iudicium, vel consilium. At vero imperium, quod est ultimus actus prudentiæ, habetque executionem paratam, non est ipsa conscientia, sed quid consecutum ad illam, et si efficax sit imperium non contingit contra illud agere, sicut agitur contra conscientiam. Agitur autem contra illam non remanente conscientia, seu dictamine bono in particulari, sed eo repulso per malum dictamen, et sic nunquam sunt simul, sicut nec vitium, et virtus; remanet tamen conscientia quoad iudicium in communi, et principia universalia, ex quibus remordet, et remurmurat contra pravum dictamen.

XVII. Ad rationes dubitandi a principio, respondetur. Ad primam, quæ probabat conscientiam pertinere ad voluntatem, dicitur conscientiam dici bonam, vel malam non formaliter, sed regulative, eo modo quo intellectus practicus dicitur bonus, quia regulat, et dirigit opera bona juxta illud Psal. cx: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*. Quia enim praxis dirigit ad opus, et dictamen, seu praxis bona quæ est conscientia dirigit ad bonum opus, denominatur illud judi-

cium, seu conscientia bona ab effectu, et fine suo, licet formaliter in se vera sit, seu actus cognoscitivus sub ratione veri procedens, et proponens ipsum bonum faciendum. Licet autem bonum, et malum effective, et inclinative pertineant ad voluntatem, tamen regulative pertinent ad intellectum, quia oportet ipsum bonum esse cognitum, et sub ratione veri attackum.

XVIII. Ad secundam probationem dicitur, quod conscientia non est applicatio, seu usus voluntatis formaliter, seu applicatio regulativa, id est, applicatio regulæ et dictaminis, quatenus formatur iudicium in particulari de agendis. et ipsa formatio dictaminis particularis quædam applicatio est scientiæ principiorum in communi, et universalium ad particularia, sicut si illatio conclusionis ex præmissis in speculativis appelletur applicatio principiorum ad conclusiones, illa applicatio non est usus voluntatis, sed formatio quædam intellectus, vel illatio, pertinet enim ad logicam. Sicut ergo datur applicatio intellectus in speculativis ad inferendum conclusiones, nec illa formaliter et elicitive est applicatio, seu usus voluntatis, licet in exercitio ab ea moveri possit intellectus ad sic operandum, ita datur applicatio practica ad dirigendum formando dictamen, et iudicium de agendis in particulari. Et hæc applicatio intellectiva est conscientia; ad quam tamen quia voluntas suo exercitio movere potest ideo potest præsuppositiva esse voluntaria, sicut etiam alii actus qui a nobis fiunt humano modo, voluntarie fiunt, quia a voluntate movente procedunt. Et hoc modo pertinere potest conscientia ad voluntatem generali illo modo, quo omnes actus humani voluntarie fiunt, et a voluntate moventur; non tamen specialiter, id est, elicitive con-

scientia pertinet ad voluntatem, quia formaliter est dictamen quoddam, seu iudicium, ut ostensum est.

XIX. Ad fundamentum secundæ sententiæ ad probandum conscientiam non esse actum, sed habitum, respondetur. Ad primum dicimus, conscientiam perseverare in nobis etiam actualiter non operantibus, sed dormientibus, aut etiam distractis, eo modo quo intentio voluntatis, et alii actus etiam transacto actu, et aliud cogitando dicuntur permanere, non quia generant habitum, qui unico actu non solet generari, sed quia virtualiter manent relinquendo voluntatem, seu intellectum determinatum ad operandum ex tali actu quamdiu non retractatur eo modo, quo supra disputatione prima, de fine dictum est. Sic dicitur remanere iudicium, seu dictamen conscientiæ virtualiter, et in sua determinatione etiam si non generetur habitus per talem actum, vel antequam sit genitus. Et postquam habitus prudentiæ genitus est, adhuc potest non operari ex illo et sic quando operatur, et habet iudicium rectum conscientiæ, ab eo determinatur ad hoc ut dicatur perseverare tale iudicium virtualiter, et ratione illius determinationis habitus ille operatur etiam postquam iudicium actu transivit,

XX. Ad confirmationem respondetur, quod conscientia non dicitur habere aliquos actus quasi elicitive, sed ex eodem actu resultant omnes illi effectus, scilicet ligare, accusare, testificari, etc. qui non sunt diversi actus, sed idem actus cum diversis respectibus, et diversis connotationibus, seu officii super diversas materias, ut explicat D. Thomas I p. quæst. LXXIX, articulo XIII. Et non est novum, quod aliquis actus possit diversa officia exercere, et effectus habere secundum diversos respectus, sicut idem actus intellectus